LEONARDUS HUNTPICHLER
Österreich (Tulln?), 15. Jh. (nach 1454, vor 1461) Seite 61r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31499
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



61

lentis. Nam et hoc philosophica docet consolacio. Infeliciores sunt qui fecerunt quam qui passi sunt iniuriam. A. Opto ut alia aliqua historiali relacione digneris declarare. R. Libenter facio quod hortaris. Est historia veteris testamenti. In tribu Benjamin quidam oppresserunt mulierem in Gabaa et abusi sunt ea tota nocte. hec de mane rediens ad hospicium ante januam expirauit. Cum quantum nephas et tam grande piaculum nunquam factum esset in Israhel audientes hoc alie tribus petiuerunt a tribu Benjamin sibi dare viros qui tantum scelus punierunt ad eos puniendum. Quod tribus Benjamin fieri noluit. Quapropter omnis Israel contra Benjamin surrexit et mito bello die prima tribus Benjamin preualuit et ceciderunt de alis tribubus viginti duo milia. Sequenti vero die decem et octo milia. Tercia vero die filii Israel per insidias ceperunt urbem Gabaa et interfecerunt occidentes viros mulieres et parvulos. Idipsum fecerunt alis ciuitatibus in Benjamin sic quod de omni Benjamin soli sexcenti remanserunt qui sederunt in petra rimmon. A. Nunc palam loquor et proverbium nullum dico. Quod non est infelicitas maior quam felicitas peccatorum. Nunc quoque audiuimus et cognouimus mirabilia que deus fecit patribus nostris et propter misericordiam eius fecit nobiscum laudem et virtutes eius narrabimus filiis nostris ut et filii nostri enarrent ea filiis suis in generacionem et generacionem. R. Audi et aliam historiam. Heraclius Pannonius Augustus qui cepit regnare circa annum domini DCXII. eo tempore quo machmet pestiferum suum dogma seminauit cum Agarem qui et Sarracenum